

# Franckesche Stiftungen zu Halle

## Primae Lineae Didactices Scholasticae In Vsum Praelectionvm Dvctae

**Dommerich, Johann Christoph**

**VWolfenbvttelae, 1762**

**VD18 12875910**

### Sectio VIII In Auctorum Latinorum Lectione

---

#### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and further information please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

in ordinem praescriptum redigere. Reliquas, quae hic commendari solent, exercitationes alibi iam (in Poetica mea germanica) ut noxias condemnauit. Si qui fuerint, quorum ingenia ad res poeticas nata non videntur, his prosodiam, siveque poetici et prosaici differentiam tantum monstrasse praestabit, quam ad versuum constructionem eos coegisse. Quae de poetica maioris momenti, altiorisque ingenii sunt, ea et in tractandis ipsis poetis commode proponi poterunt, et in arte poetica inferiorius Sectione XVIII pluribus disputabuntur.



## SECTIO VIII

IN

## AVCTORVM LATINORVM LECTIOME

§. CCXII.

Quam primum ex grammatica ea tradita fuerint, quae Sectione VI prima vice tradenda docuimus, quod breui sane tempore fieri potuit, ad auctorum latinorum lectionem satim adducendi sunt pueri, de qua fusius iam agendum erit. Fuere quidem, qui a Ci-

O 5 cerone



cerone initium esse faciendum, putarunt: sed librorum istorum difficultas, quae non in verbis solum, sed in ipsis quoque rebus deprehenditur, quo minus id commode fieri possit, impedit. Plura quidem, in epistolis in primis ad diuersos, adeo esse plana et obvia putarunt, quae et pueris proponi, ab hisque intelligi facile possent. Possent ex orationibus excerptae narrationes, et quae in dialogorum praefationibus historiam sapient, si quidem magistri accedat industria, paruo labore a tironibus intelligi. Sed, cum multa tamen in epistolis etiam minoribus variis de cauiss occurrat difficultas, argumentumque tam orationum, quam dialogorum pueris difficilius sit, faciliores vero adsint suauissimi et purissimi oris auctores, a facilioribus cur non incipiamus?

### §. CCXIII.

Quomodo vero haec lectio sit instituenda, prius videamus, quam auctorum legendorum ordinem ac seriem constituamus. Initio scilicet, cum grammatica, ut supra ostendimus, pertractata fuerit, lectio haec ita erit instituenda, vt in singula verba inquirat praceptor, eorumque non solum significatio-



tionem, sed et flexiones, constructiones et reliqua suis tradat. Hac ratione, quae in grammatica didicerunt, repetent, multaque addiscent. Prima igitur auctorum lectio omnino sit grammatica, ut regulae grammaticae diligenter euoluantur atque inculcentur. Quo facto pensi cuiusdam versio exprimatur germanica, quae crebrius a discipulis repetatur. Poterit hic praceptor interrogationes immiscere vel latinas vel patrias, ad quas discipulus vel latine vel germanice respondeat: poterunt quoque tirones interrogando se ipsi exercere, donec pensum istud firmius memoriae inhaereat.

### §. CCXIII.

His exercitationibus peractis ipsi discipuli pertractata pensa interpretatione vernacula litteris mandare iubeantur, aut ad quaestiones latinas latine litteris respondere, ut compositioni adsuescant. Neque ab hoc loco alienum erit, quid de recepto in scholis constructionis grammaticae ordine sentiendum sit, inquirere. Solet ille a grammaticorum plerisque ita commendari, ut nihil supra. Sunt vero et alii, qui illum prorsus ex scholis eiiciendum suadent, quod orationis latinae puritati



puritati et nitoris, linguaeque genio prorsus aduersatur. Magna omnino orationis latinae vis in vocabulorum positione, ac periodorum iusta concinnitate posita est, quae ista constructione non potest non perire, atque infringi, praesertim si nimis illi iuuentus scholastica adsuescat. Inde tamen neutiquam sequitur, omni illam carere utilitate. Facit omnino multum ad intelligendos difficiliores auctorum locos, imperitioribus viam, ad eos recte explicandos, pandit. Nostra igitur sententia sub initium adhiberi omnino potest, ac debet, vixque sine illa ad auctorum intelligentiam peruenient discipuli: quod si vero ulteriores in hoc studio progressus fecerint, tum illam, non nisi in summa necessitate, adhibendam censemus, ne detrimenti quid inde capiat stilus.

### §. CCXV.

Hac methodo Hubneri historiae sacrae, Phaedri fabulae, Heuzei Historiae ex profanis selectae cum discipulis pertractari poterunt, ut magis magisque ex grammatica defectus suppleantur. Tum ad alios autores fieri poterit transitus, Eutropium, Iustini, Cornelium Nepotem, Iulium Caesarem,

rem, Ciceronis epistolas, Chrestomathiam Ciceronianam et Plinianam Gesneri, in quibus legendis non tam grammaticae, quam ipsius linguae addiscendae ratio habenda est. Pensa igitur maiora poterunt absolu*i*, ita tamen, ut sensus vbique inuestigetur, discipulique in illo inquirendo ipsi exerceantur. Non quidem omnino cursoriam hic commendamus lectionem, neque tamen nimis esse statariam volumus. Quae ex mythologia, historia, geographia veteri, antiquitatibus et aliunde ad bene intelligendos auctores requiruntur, haec omnino adferre praeceptor debet, illisque lumen his quasi adfundere. Sed ne nimis in his sit longus, ne tempus sibi, suisque furetur. Neque stili venuitates negligat, sed quae ad eius puritatem, concinnitatem, ornatum et congruentiam faciunt, diligenter obseruet. Haec vero omnia ex frequenti plurium, eorumque optimorum auctorum lectione optime hauriri poterunt, licet non omnino improbandum sit, si iuuenes ipsi vel compendia antiquitatum romanarum, vel stili quaedam fundamenta suo studio insuper legant.

## §. CCXVI.



## §. CCXVI.

Hac lectione praeparatus iuuenis, cum a facilioribus auctoribus ad difficiliores semper progrediendum sit, ad ipsius Ciceronis scripta legenda adduci debet, vnde et stilum, et cogitationes ipsas discat. Praemissa igitur Ciceronis vita, ad eius epistolas ad familiares accedat, quas ex temporis, quo scriptae sunt, ordine legat. Ad rectam illarum intelligentiam praceptor inseruerint Pauli Manutii Commentarii, Graeviique editio. In tricis grammaticis cum non amplius versetur discipulus, id potissimum agat praceptor, ut pulchritudinem et certitudinem cogitationum, humanitatis et familiaritatis egregias significationes, varias animorum, affectuumque descriptiones, morumque et prudentiae pracepta inde cum iudicio discat iuuenis.

## §. CCXVII.

Ab his ad Orationes selectas et Officia Ciceronis pergit, in quorum lectione attendendum semper erit, quae auctor probanda sibi sumferit, quomodo probauerit, eaque amplificauerit. Quod si tempus et occasio ita ferant, reliquae quoque Ciceronis orationes

tiones ita perlegi, scriptaque philosophica addi poterunt. Ad haec vero antequam accedit iuuenis, vtilis omnino erit breuis historiae philosophicae tabula ad Ciceronis vsque tempora, quae ad illorum intelligentiam valde iuuabit.

### §. CCXVIII.

Terentius quoque, mirus animorum, affectuumque pingendorum artifex, ita legi poterit, vt quatuor vel quinque horis commoedia absoluatur. Nec non Plinii iunioris epistolae, et panegyricus, Liuius, potissimum decem priores eius libri, qui reliquorum intelligentiam reddunt facilem, Quintilianus, eiusque praesertim I. X et XI liber, Curtium, Valerium Maximum, et Senecam priuatae iuuenium lectioni commendet praeceptor, solis praesertim diebus Tertulliani apologeticum, Minucium Felicem et Laurentium, seque in difficultioribus locis, discipulis rogantibus explicandis, facilem fore, spem faciat.

### §. CCXVIII.

Vt reliquorum etiam auctorum latinorum notitiam sibi acquirant iuuenes, ex quibus pro lubitu deinde, quos legant, de-

pro-



promere poterunt, litterariam illorum preeceptor suppeditet historiam, in qua nomina, vitam, scripta, eorumque varias, nitidissimasque editiones proponat. In summa id agat, vt antiquitatis discipuli fiant amantissimi, auctorumque classicorum lectione quam maxime delectentur, quorum familiaritate ipsis quoque classici aliquando scriptores euadere poterunt: praesertim si Ciceronis, Iulii Caesaris, Liuuique stilum maxime fuerint imitati.

### §. CCXX.

Sub argumenti huius finem adhuc castigandi sunt quorumdam preeceptorum *περικατατων* praui mores, qui in auctorum lectione prorsus nihil agunt, nisi vt miseros discipulos variantium lectionum mole obruant, immo obtundant. Quam stultus hic labor sit, ii statuent, qui, quam imbecille discipulorum sit iudicium, in varietate praesertim lectionis, cogitauerint, et quam parum utilitatis plerumque hic vanus labor habeat: magis vero adhuc illum auersabuntur, si, quam utilia et magis necessaria illo negligantur, apud animum reputauerint. **Quam discipulorum viribus absona res est,** pueros,